

De dono immerito

Quindecim ante annos dies natalis mathematici cuiusdam celeberrimi celebratus est: collegae magnum conventum ad honorem eius ut fieri solet paraverunt in quo multae orationes de novis investigationibus mathematicis habebantur. Etiam ego invitata sum ad talem orationem habendam. Etsi illam orationem optime paraveram timore capta sum cum multitudinem mathematicorum celeberrimorum ex toto orbe terrarum inter auditores animadverterem: multi professores ex univesitatibus optimis quorum opera scientifica per multum temporis et saepe frustra intellegere conata eram. Erubui cum investigationes meae iis fortasse haud placere mente fingerem. Quomodo illos viros mihi conciliare possem?

Diu mecum volutavi quid mihi faciendum esset. Denique ei mathematico cuius dies natalis celebratus est placentam parare constitui quam in initio orationis meae ei dono darem: num hoc modo auditores in me placarem?

Omnes artes meas culinarias intendi ut placentam optimam pararem fragis ornatam in qua sapor persarum americanarum modo delicioso cum acore lemonis et dulcitudine mellis coniungeretur.

Eo die cum orationem meam haberem auditorium omnino erat plenum: in primo ordine omnes professores consederant quorum iudicia summopere timui. Sudore madida et voce tremente collegae nostro felicem diem natalem exoptavi. Placenta tradita omnes me obstupefacti atque increduli aspexerunt: collega noster vir erat obstinatus, pervicax et ferox, et nemo (imprimis ille ipse!) me ei placentam paravisse exspectaverat. Tum plausus ingens est exortus, et contenta et tranquillo animo orationem meam habui quae optime cessit.

Proximo die collega noster me allocutus est: illam placentam ei haud male placuisse. Ore aperto eum aspexi: haud male? Vir ingratus! Barbarus es! Illa placenta erat delicatissima, sapore inopinato et venusto, corona praeceptorum meorum, quam tantum amicissimis meis parare solebam. Eum illud donum omnino non meruisse patuit: nisi tanto timore capta essem, ei numquam placentam ullam paravissem, ne placentam vulgarem et facilem paratu quidem!